

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0202

0200

0206

0196

190

antra illa, in quibus tener puer Johannes habitavit, videtur
et in eis morari delectabile valde esse. Sed desiderium
ingrediendi dominicum sepulchrum magis urgebat. In processu
dimisimus desertum S. Johannis et domum Zachariae et
ecclesiam sanctae crucis et domum Simeonis, de quibus om-
nibus prius dictum est, et ad Jerusalem properavimus. Cumque
ad vineas montis Gyon venissemus et jam civitatem sanctam
prae oculis haberemus, ecce mulieres aliquae in vineis labo-
rantes congregatae in via se locaverunt cum lapidibus, et
transitu nobis interdixerunt, nisi eis solveremus tributum, quas
interrogari fecimus, an essent arabicae vel Sarracene? Quae
cum dixissent, se esse Sarracenas, vi per medium ipsarum
penetravimus, easque derisimus dicentes, pedagium esse de-
bitum Arabum, et non Sarracenorum. Quae cum magna in-
dignatione miserunt lapides contra terga nostra, et post nos
contumeliosis vocibus clamaverunt. Porro cum iam prope
civitatem essemus, venit nobis obviam quidam magnus dominus
infidelis, cum multis famulis et copioso comitatu armatorum
in equis et mulis, et qui praecedebant exercitum significabant,
quod unus Amiraldus sequeretur. Quod ut audivimus, statim
de asinis nostris resilivimus, stantes sic secus viam, quoisque
universi praeterierunt. Si enim per nos de bestiis non descen-
dissemus, cum furia et contumelia nos dejecissent. Consuetudo
enim patriae illius hoc habet, ut semper pauperes, rustici,
peregrini et personae humiles deferant (**B**) hoc modo nobili-
bus et divitibus sibi obviantibus. Quam statim enim ut igno-
bilis et advena videt contra se nobilem venientem, descendit
de bestia sua, quoisque pertransierit dominus cum suis fa-
mulis; si autem descendere neglit, famuli domini eum vi
dejiciunt. Si vero duo divites sibi obviant, minus dives, qui
alteri deferre vult, non descendit, sed cum bestiis suis secus
viam se contrahit, quoisque ille praetereat. Si vere dives
civis obviam habuerit nobilem armatum, ut puta Sarracenus
Mamaluccum, tunc honor, quem dives ille deferat nobili,
[est], ut de via se contrahat, pedesque extra strepas tra-
hat et dependere sinat. Quod si non fecerit, eum armatus de
equo dejicit. Sic ergo, postquam dominus ille transivit, reas-
cendimus asinos nostros et in civitatem sanctam ingressi

0211

0191

0251

0151

0301

0101

0701

Ende

Anfang

